

nisi forte Mardi et Uxii montani eadem gens sunt, diverso nomine appellata. Cf. nota ad Exped. III, 24, 1. Diod. Sic. XVII, 76. Promiscue scribebantur Μάρδοι et Ἀμαρδοι, Strabone lib. XI. teste.

*Cossaei* etiam in Exped. VII, 15, 1. Uxiorum vicini vocantur, montium incolae et latrones. Hos vicit et subegit Alexander post Hephæstionis mortem hieme 325 - 324 ant. Chr. Nunc vocantur Coss's, in septentrionali montium parte, qui Persidem cingunt habitantes; unde plerumque Mediae gentibus adnumerantur. Cf. Plut. V. Al. c. 72. Diod. Sic. XVII, 111. Polyæn. IV, 3, 31, ubi *Scossaei* vocantur.

λησαὶ καὶ οὗτοι] sc. sicut Uxii.

10. ῥηχίησιν] Hoc vocabulum non de scopulis, sed de brevibus arenosis vel potius limosis, praecipue iis, quae Ali-Meidan vocantur, intelligendum est. In illa regione ne lapis quidem est. Delta vero Susianae, ejus

nomen generale nunc Gaban est, dividitur nunc septem fluminibus, quorum nomina vide apud Vinc. p. 393, ubi longus est Vincent de hac regione. Tria horum alveorum, superato littore, per brevia procedunt, inter 12 et 17 mill. angl. a littore in mari porrecta. Sicca relinquuntur fere nunquam, et ne refluxus quidem tempore. Sita sunt inter Pasitigrim et Euphratis ostium (Khore Abdillah) et nunc vocantur Ali-Meidan. Secunda brevia sunt inter Pasitigrim et Cataderbin, nunc Carabah vocata; tertia sunt inter Arosin, vel Aren, et Cataderbin, non magna, Barcan vocata. Praeter haec tria brevia, i. e. praeter littora Susianae tribus diebus a classe navigatum est.

πελαγίωσιν] Eodem sensu πελάγιος usurpatur Polyb. lib. I. c. 26. τὸν πλοῦν εἶναι πελάγιον, in alto tenendum cursum; et c. 28: πελαγίαν ἐποιῶντο τὴν ὑποχώρησιν, in altum fuga se recipiunt. Item cap. 37. *Raph.* Etiam cap. 43, 3.

XLI. Σταδίους δὲ πεντακοσίους κομισθέντες, ὀρμίζονται ἐπὶ σώματι λίμνης ἰχθυώδους, ἣ οὐνομα Κατά-

XLI. Quumque ad quingenta stadia provecti essent, ad fauces piscosi cujusdam lacus, qui Cataderbis dice-